



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

Sicut misericordia, & veritas Domini per-
tingunt usque ad Cælos: sic etiam par est, ut
gloria, & laus ejus, & Cælum, & terram re-
pleat.

PSALMUS LVII.

Titulus, & argumentum: *In finem, ne dis-
perdas David in tituli inscriptionem.*

*Titulus nihil habet novi. Argumentum est
acris reprehensio hominum iniquorum: licet
enim occasio scribendi nata sit ex iniquitate Sau-
lis, & ministrorum ejus, persequentium Da-
videm; tamen reprehensio est generalis, & ut
monuit S. Aug., concionatur Spiritus S. per
os Prophetæ ad universum genus humanum.*

¶ 1. *Si verè utique justitiam loquimini,
recta judicate filii hominum.*

Cùm omnes interrogati, sitne bonum fu-
rari, mœchari &c., id rectè negent, quia lex
in corde scripta docet: *quod tibi non vis fie-
ri, alteri ne feceris*; & tamen impii furentur
&c., judicantes id sibi bonum esse, aliàs non
furaturi &c.; contra hanc voluntariam, & inex-
cusabilem cæcitatem clamat Spiritus S.: dum
verè dicitis; malum est furari, mœchari &c.
judicate in corde vestro, non esse facienda,
ac per hoc nolite facere, quæ mala esse confes-
si estis.

¶

¶ 2.

ψ. 2. *Etenim in corde iniquitates operamini : in terra injustias manus vestras concinant.*

Non frustra vos admonui, ut recta judicetis, nam apparet contraria vos facere: etenim in corde decernitis mala, imò opere ipso facitis, & peccata peccatis accumulatis, utique admixtâ sæpe specie aliquâ virtutis, ut turpitudine iniquitatis aliquo modo tegatur. Illud, *in terrâ*, significat, peccata operum non posse fieri, nisi dum vivimus in terris; in inferno erunt mala desideria, sed facultas exequendi non erit.

ψ. 3. *Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.*

Hæc est alia peccatorum miseria, quòd vix in lucem editi deflectant à recto tramite, à viâ veritatis; & primum ordinariè peccatum actuale puerorum est mendacium; indè se primùm prodit naturæ corruptio.

ψ. 4. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surde, & obturantis aures suas.*

ψ. 5. *Quæ non exaudiet vocem incantantium : & venefici incantantis sapienter.*

Nec solùm peccati morbus ab infantiâ incipit, & diuturnus est, sed etiam gravissimus: nam sæpe peccatores tanto furore, & obstinatione

tionē grassantur in perniciem proximi, ut similes sint serpentibus illis, qui surdi dicuntur, quia incantationibus nullis cedunt. *Furor illis, gravissimis peccatoribus, qualis tunc erat Saul, est secundum similitudinem serpentium, qui nullā arte mansuescieri possunt; imò secundum similitudinem aspidis surdæ, quæ obturat caudā aures suas, ut non exaudiat vocem &c. Illud incantantis sapienter, idem est, ac periti in arte suā.*

ψ. 6. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus.*

Descriptā gravitate peccati, peccatorum pœnas describit variis similitudinibus. Prima: auferet Deus robur, & potentiam peccatorum, etsi potentissimorum, qui instar leonum dilaniant innocentes: *in ore ipsorum*, h. e. dum adhuc vivunt, & rugiunt, nam dentes evulsos contere facile est: nec solum dentes minores confringet, sed & molares, omnium maximos, & durissimos.

ψ. 7. *Ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum, donec infirmetur.*

Altera similitudo: ad nihilum redigentur, instar torrentis, vel pluviae, quæ velocissimè transit, nec vestigium relinquit. Sic contigit potentissimis tyrannis, Sauli, Achabo, Neroni;

Hæresiarchis, Ario, Nestorio &c. Ne verò putemus, hæc casu fieri, vel ex causis naturalibus, addit : impiorum potentia tam celerem finem habebit, quia Deus omnipotens intendit arcum suum contra eos; nec eum remittet, donec illi infirmentur, debilitentur, viribus amissis deficiant, & pereant.

ψ. 8. *Sicut cera, quæ fluit, auferentur : supercecidit ignis, & non viderunt solem.*

Tertia similitudo : sicut cera, quæ fluit, tangente illam sole, vel igne, ita impii de medio auferentur. Nam supercecidit ignis iræ Dei in illos, & ipsi, ut cera liquefacti perierunt, nec viderunt amplius solem, quem soli viventes videre possunt.

ψ. 9. *Priusquam intelligerent spinæ vestra rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos.*

Ultima similitudo docet impios perdendos, antequam concepta contra justos mala implere possint, ne gaudeant de eorum exterminio. Priusquam ad perfectionem suam spinæ teneræ crescendo pervenirent, ut instar rhamni pungere, & lacerare possent : Deus eos absorbet sic in irâ, ut viventes absorbere solet terra vel mare. Per illud *intelligere* indicatur crescere ad perfectum robur : quod quidem hominibus convenit, qui tunc ad ætatē perfectam pervenerunt, dum sapere, & intelligere incipiunt; sed metaphoricè etiam aliis rebus tribuitur. ψ.

†. 10. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

Cum hæc omnia jam dicta facta fuerint, lætabitur justus, non amore vindictæ, sed justitiæ: quia videbit, se Dei gratiâ custoditum, non esse lapsum in ea peccata, unde tam severè puniri mereretur: mundabit opera sua, & bene operando fiet diligentior, dum cernit sanguinem, seu mortem, ac supplicia impiorum.

†. 11. *Et dicet homo, si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.*

Cum impii punientur, & justus lætabitur, tunc homines, qui ista videbunt, dicent: si justitia fructum aliquem adfert, ut verè adfert, ille maximus est fructus, quòd Deus, summus omnium Judex non sinit peccatores impunitos, nec justos irremuneratos; sed retribuit cuique juxta opera sua, quæ facta sunt in terrâ.

PSALMUS LVIII.

Titulus: *Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, & custodivit domum ejus, ut eum interficeret.*

Scribendi hunc Psalmum occasionem narrat I. I. Reg. C. 19., nempe missos fuisse satellites à Saule, qui custodirent domum David, ne